



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 46. Singulare studium Frnaciæ Episcoporum in reprimendis hisce
dissidiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

necessariæ contrarios divulgant, e-
 jusmodi autem ausibus obicem po-
 nere, & ante Syndici electionem in
 hosce inquietos inquirere, ac via juris
 procedere, suam Majestatem necessa-
 rium fore duxisse &c. Insuper Rex die
 prima Novembris datis literis Facultati
 declaravit, nullam omnino esse nomi-
 nationem Deputatorum, & cuncta reli-
 qua, quæ contra Majestatis suæ jussa
 attentassent, irrita fore. Eapropter
 decrevere Doctores, nullos ad Regem
 esse Deputandos; cum autem prima
 Decembris die in comitiis novos con-
 citarent motus, hinc Romignius Fa-
 cultatis Syndicus ex Regis mandato
 eis præcepit, ut conventum suum
 solverent.

§. XLVI.

*Singulare studium Franciæ Episcopo-
 rum in reprimendis hisce diffidiis.*

Quo pertinacius quidam Sorbonæ
 Doctores suæ insistebant appella-
 tioni, eo firmiori pectore Franciæ Epi-
 scopi refractariis obstitere, atque inter
 eos præprimis Petrus Sabatier Ambia-
 nensis Episcopus ad omnes Parochias,
 & Abbavillanæ Urbis Ecclesias, ut pu-
 blicas preces cum exposito SS. Sacra-
 mento haberent, mandatum dedit,
Hist. Eccles. Tom. LXXI. O illud

*Dorsan. l. c.
 pag. 56.*

Sæc. XVIII. illud tamen ad Capitulum Cathedralis
 A. C. 1721. non transmisit, eo quod Silly de Lou-
 vignii Decanum, Demianum Thesaurarium, & quosdam Canonicos appellantes pro hæreticis haberet: Nihilominus hi publicas indixere preces, ac desuper querente Episcopo, Regni Moderator die decima quarta Januarii per Cardinalem du Bois Decanum & Thesaurarium Parisios venire iussit. Hi Cardinalem de Bissy Meldensem Episcopum, atque Abbatem Covetum adeuntes, moniti sunt, ut ad prævertendam Regis atque Episcopi indignationem suam revocarent appellationem, vel saltem Episcoporum conciliationi accedere haud cunctarentur: Opponebant illi, quod nec *Corpus doctrinae*, nec postremum Noailii mandatum perlegissent. Hoc maturius ponderantes, ac præcipue Rohanii Cardinalis eloquentia ac rationibus convicti vix non victas dedere manus, paulopost tamen ab aliis seducti declararunt, quod circa Constitutionem & Episcoporum acceptationem non nisi obsequiosum pollicerentur silentium: Hac tamen ratione Episcopo haud satisfactum, quapropter Capitulum se Constitutionem cum ceteris Franciæ Episcopis acceptare, scripto tenus coram Episcopo declarabat; cum autem Hic insuper peteret, ut Canonic

Sæc. XVIII.
A. C. 1721.

nici a censuris ob appellationem incur-
 sis solvi efflagitarent, id vero cum se
 facturos recusarent, eis Sacramentalis
 denegabatur absolutio, donec a cen-
 suris liberati essent. Eadem spiritus
 libertate hic idem Episcopus Atreba-
 tensi Episcopo, qui unacum suo Man-
 dato quosdam suæ Diæcelis Clericos
 Sacerdotio initiandos miserat, respon-
 dit, se ejus mandatum non sine mæ-
 rore legisse, eoquod in illo multa Pon-
 tifici injuriosa deprehendisset, præcipue
 quod censuras a Papa per Bullam latas
 suppresserit, cum tamen id facere haud
 posset, quin in ipsum Pontificem juris-
 dictionem exercere præsumeret, ni
 ergo sententiam suam mutaret, se haud
 ultra Ecclesiasticos, quos trãsmisurus
 esset, ad Ordines admissurum: Paulo-
 post Andreas Deuillet Bayonensis, Vin-
 centius Desmaretz San-Macloviensis,
 & Laudanensis atque Atrebatensis, Epi-
 scopi sua mandata pro acceptatione
 Constitutionis ad Noaillium Cardinalem
 transmiserunt. Hæc mandata a Se-
 natu Ecclesiastico examinabantur, Atre-
 batensis tamen, necnon Trecoriensis
 Episcopi sua mandata circa ea, quæ
 de Constitutionis inutilitate, & contra
 Jesuitas insperferant, immutare jube-
 bantur: Agennensis vero Episcopus
 suum mandatum sine examine prævio

Sæc. XVIII. imprimi iussit, asserens, sine Episcop-
A. C. 1721. lis characteris læsione se non posse
mandatum suum Laicæ Curix corre-
ctioni subicere; id enim rem fore pessimam
exempli &c. Alii Præsules toti in eo
erant, ut Ecclesiasticos ad revocandas
appellationes inducerent, & quidem
Sarlatus Gratianopolitanus Episcopus
appellationes tanquam ausus schisma-
ticos detestatus, scandalum inde exor-
tum per publicas a Notariis signatas
revocationes reparari iussit, secus se
alios ad eorum Beneficia nominaturam
minutus: Nec etiam ejus fervor suo
caruit effectu; multi enim Parochi pu-
blice suas appellationes revocabant &
Rupellensis Ecclesiæ Canonici exequiis
sui Decani interesse renuebant, eoquod
hic in sua appellatione persistens abili-
set. Marcibanus quoque Mirapicensis
Episcopus nequidem interesse voluit
supplicationi solemnī, in qua Montpe-
sulanus Antistes sacris operabatur, in-
lumque Aletensis Episcopus nequidem
officiosa dignabatur salutatione, & Le-
coniensis Episcopus Canonico cuidam
eoquod moribundo Montacutensis Ca-
pituli Decano sine petita prius revoca-
tione Sacramenta administrasset, om-
nibus sacris functionibus interdixit, &
sub anathematis pœna inhibuit, ne in
sua Diœcesi ullum administraret Sacra-
mentum

Sæc. XVIII.
A. C. 1721.

mentum. Ipse etiam Noaillius Cardinalis, ne suo silentio innovatas quorundam appellationes tacite approbare videretur, cuidam Parocho & alteri Canonico accessum ad suum Palatium interdixit, simulque declaravit, quod nullum ex illis, qui suas appellationes innovassent, ad Beneficia vel S. Ordines admissurus esset, ceterosque Episcopos, ut ejus exemplum sequerentur, hortatus est. Chassaingio Missionum Sacerdoti, pluribusque aliis facultatem confessiones excipiendi ademit, cunctosque Sacerdotio initiandos, nisi suis appellationibus nuntium miserint, exclusit. Præterea Nannetensis Episcopus Moniales sibi subjectas adstrinxit, ut sequenti subscriberent formulæ: *Ego recipio atque adopto Constitutionem utpote ab Ecclesia receptam, omnesque illos, qui eam non acceptant, pro segregatis ab Ecclesia habeo.* Rhemensis etiam Cardinalis Archiepiscopus octo Ecclesiasticos magis pertinaces ex mandato Regis exilio plestebat, & octodecim Canonicos Cathedralis voce activa & passiva ob interjectam vel innovatam appellationem privabat, quibus etiam auctoritate Regia interdictum, ne præsentem Archiepiscopo Ecclesiam ingredi præsumerent: nec huic severitati omnis deerat successus; viginti enim septem Canonicis

Sæc. XVIII. nici suam appellationem revocarunt,
 A. C. 1721. decem vero suæ pertinaciæ immortalium
 Parisiis suæ oppositionis rationem red-
 dere nitebantur; verum Cardinalis de
 Bois eis declarabat, Regem omnino
 velle, ut ante solemnem ejus unctio-
 nem cunctæ appellationes revocaren-
 tur: Insuper Aquensis Archiepiscopus,
 atque Episcopus Gratianopolitanus eos,
 qui suas appellationes innovarunt, Re-
 gis jussu in exilium expulere, atque Ja-
 cobus de Fourbin de Janson Episcopus
 Arelatensis Parochum, qui Bocheum
 hujus Ecclesiæ Sacellanum morientium
 Sacramentis munierat, interdicto Ec-
 clesiastico supposuit, mortuum vero sine
 campanarum sonitu ac sine funerali
 honore sepeliri jussit, cum autem Ro-
 mæ Melitensis Eques ædituum ad-
 pulsandum verborum minis adegisset,
 atque in Archiepiscopi contemptum
 ante ejus Palatium cadaver subsistere
 jussisset, Archiepiscopus hanc temeri-
 tatem Equiti acriter exprobravit: De-
 nique Aptensis Episcopus die decima
 quinta Decembris mandatum edidit,
 in quo præter alia præcipue sui cordis
 impetum manifestabat his verbis: A
 „mentis depravatione transeamus ad
 „corruptionem intellectus, & quam
 „horrenda monstra parturit illa! . . .
 „nempe informes novasque appella-
 „tiones

Sæc. XVII.
A. C. 1721.

„tiones ad futurum Concilium inter-
 „jectas a summi Pontificis Constitu-
 „tione omnium ferme Christiani Orbis
 „Episcoporum acceptatione munita.
 „Si audaculos hosce, qui contra hoc
 „Divinum Oraculum declamare ausi
 „fuerunt, peius cognoscere vultis
 „. . . , vestro desiderio satisfacturi
 „dicemus eos esse Doctores,
 „qui de se præsumentes cognitam ve-
 „ritatem, ut pravis suis affectibus satis-
 „faciant, palam prodere, eamque er-
 „rori, ejus inimico tradere, sibi reli-
 „gioni minime ducunt. Hic est genui-
 „nus tam recentium quam veterum
 „Appellantium character.„

„Nonne merito dicere possumus,
 „quod Christus Dominus prospiciens
 „turbidam hanc ætatem, in qua vivi-
 „mus, dixerit per os Prophetæ sui ad
 „has oves voci Pastoris sui rebelles.„

„Nequaquam Pontifex, a quo ex-
 „plicationes Bullæ petitis, vestro desi-
 „derio satisfaciet, Pertinaces enim
 „& obdurati estis, & vocem ejus
 „audire renuitis: Eapropter dignissimo
 „huic Ecclesiæ Matris vestræ Interpreti
 „auctor existi, ne ad captiosas vestras
 „petitiones respondeat, Peribitis vos,
 „& vobiscum illi Doctores, qui vos in
 „schisma præcipitarunt, *corruas hodie,*
 „*& corruet etiam Propheta tecum. Nocte*

Sæc. XVIII. „*tacere feci Matrem tuam* Timen-
A. C. 1721. „*dum est, ne schisma, quo Francia*
 „*scinditur, pestilentiaæ flagellum in il-*
 „*lam provocet. Quamprimum Sama-*
 „*ria sese segregavit a communione Je-*
 „*rusalem, quamprimum alienum*
 „*invexit cultum omnia mala in*
 „*ultionum thesauro inclusa in caput*
 „*ejus effundebantur &c.* „ Non pau-
 cis tamen quorundam Episcoporum se-
 veritas præsentis temporum vicissitudi-
 minus accommodata videbatur: unde inter
 ipsos Franciæ Episcopos viginti septem
 oriebantur factiones, quarum mandata
 a malevolis vocabantur Babel, quibus
 non audiebat unusquisque vocem pro-
 ximi sui.

§. XLVII.

*Varia contentiones circa Theses in
 Gallis propugnatas.*

*Holberg.
 Hist. Eccl.
 t. 4. p. 64.*

Rupto debitæ obedientiæ ac submis-
 sionis fræno non pauci Professores
 luxuriantis ingenii intemperantia plus
 æquo indulgentes, ac Noailii patro-
 cinio tumidi, Parisi: varias theses in
 odium Constitutionis atque acceptan-
 tium exposuere; ac præprimis die de-
 cima quinta Januarii in Aula Sorbo-
 nica duæ solemnes habebantur dispu-
 tationes, in quibus tamen duæ propu-
 gnabantur theses, quas Præsules Semi-
 narii